

malæ hujus radicis furculus censendus est. Virulentus est maximè morbus, & contagiosus, ut cum lacte ipso ab infante trahatur, si fortè nutritrix eo incommodo laboraverit; sicut vicissim infantis virus ex infecto parentum sanguine derivatus in nutritricem transfunditur. Vir itaque sanctus quicumque luem illam contrahere potest imprudens, si cum aliquo eâ peste infecto vel communem habeat lectum, vel poculum vel mappulam vel indusium aut vestes; cui maximè vitio obnoxii sunt, quicumque delicato quodam, & imbecilli temperamento gracilescimus, & cum rebus illis utendum suscipimus, tactu corruptissimarum partium antea infectis. Chardinus Itineris in Persidem tom. 2. part. 1. cap. ult. testatur, in Oriente & apud Persas maximè perniciosam esse quandoque loquendi ipsam consuetudinem cum hominibus eo morbo infectis, cujus rei in causa esse dicit, quòd ex adulto calidoque clymate ac balnearum frequenti usu, excipiendi morbo patentibus undique poris corpora sint apertissima.

Non est igitur cur probro viro sanctissimo fuerit, si pernicioso hujus morbi viro infectus dicatur, neque immodica Dæmoni tribueretur potestas, si in corpus illius adeò valuisse credatur, ut turbatâ humorum harmoniâ lepram luemque veneream induxerit. Salvo igitur, quod in viro sanctum profitemur, obsequio, neque summâ potestate Dæmoni permittenda, asserendi nobis jus est contingere facile potuisse, ut Jobus luem contraheret, sive vestis alterius lue infecti contactu, sive in eodem illius lecto decubitu; quæ omnia Dæmoni opportunè suppeditaverit. Juvat enim animadvertisse, hæc omnia viro sancto non antea provenisse, quam post ultimas angustias rei familiaris. His planè limitibus potestatem illius omnem terminamus. Infectus ille virtuti adversarius potuit Jobi patientiam in discrimen adducere eo inducto morbo, cujus indolem fævissimam & maximè probrosam norat. *Hæc lues quicquid in aliis est horrendum, unâ secum trahit*, ait Erasmus Epist. 92. ad Regni Polon. Cancellar. Multorum etiam opinio tenet, Sophar, ex Amicis Jobi, nihil tale meritum virum de incontinentia suggillasse illis verbis cap. 20. 11. *Osa ejus implebuntur vitii adolescentia ejus, & cum eo in pulvere dormient. Verum imponi eam opinionem Sophar arbitramur; non enim probroso commercio induci morbum olim autumasse Veteres credimus. Nihil in Lege de lepra præscriptum, quod suspicionem ejus rei promoveat, nisi unum tantummodo, cum scilicet capitali supplicio animadvertendum edicit in maritum ad uxorem menstruatam accedentem (t). Nihil gravius de leprosis apud Judæos censebatur, quam quòd irato Deo pœnas dare crederentur acerbissimas.*

Morbum illum, quem variolas dicunt, ex Medicorum doctrina ulcera non raro, vel saltem pustula comitantur in corpore disseminata, miserè affectum hominem an-

gentes. Porro morbi illius virus non extimam tantum carnis superficiem pellemque inficit, sed ad intima usque ossa pervadens, abditas partes simul & sanguinem & humorem depopulatur. Prodeunt autem in externum rotundæ quædam crustulæ, in medio quidem planiores circum protuberantes, quarum subflavus color nigrescit. Decidunt sponitè interdum barba, supercilia, comæ, atque secretam quandam in corpore gliscentem corruptionem febris tandem, ni prompto remedio ægroto fuerit subventum, consequitur; qua vitales partes depascente, brevè exesum corpus absumitur. Cum itaque eorum nihil à lepra alienum censetur, illud statuamus oportet, luem veneream lepræ cujusdam generis habendam; & eum leprâ laborare Jobum, eâque pessimâ supra demonstraverimus, probrosi etiam morbi veterno correptus fuisse credendus est. Quamquam ejus contrahendi morbi alia fuerit Viri honestissimo, alia cæteris salacibus hominibus causa.

Quæ si vera statuatur, illud consequitur, quod sine controversia verum esse arbitramur, probrosi illius morbi virus jam inde à vetustissimis sæculis gliscere in mortalium perniciem coepisse; cum lepræ morbus totâ adeò antiquitate innouerit, ut frequentissimam fuisse luem, veterum omnium tam Sacrorum, quam prophanorum Scriptorum testimonio discamus. Profectò si mala ista venereæ luis merces ex salaci commercio comparatur, quis vetustissimum non esse malum crediderit; cum probrosissimarum voluptatum monstra tot elapsa retro sæcula spectarint? Plures sanè inter eos, quorum in veneream proclivorem fuisse licentiam ex historia novimus, eo genere morbi interiisse legimus, quo impurissimos quosque nostræ ætatis videmus. Quare sin minus probrosi morbi nomen, rem tamen antiquitati innotuisse satis constat (u).

Hunc eundem morbum Lucianus in Pseudologista morbum Lesbium appellat; quòd scilicet Lesbiorum in Archipelago mores corruptissimi essent. Morbum Campanum appellat Horatius (x), quòd Campanorum & maximè Capuanorum licentia eâ ætate esset insignis; ut proinde de Capua dictum illud à Cicerone feratur: *Domicilium impudicitia (y)*. Eodem spectat Ausonii ille morbus quem *Luxum Nolanum [z]* nuncupat. Nec alio laborasse Augustum credimus, cui proinde levando olei sæpius adhibita fomenta, cum sudore ad flammam provocato, & gelidâ post sudorem affusionibus (a). Nequidquam tamen iis remediis Princeps convaleuit, cum certis anni temporibus residui morbi vestigia quædam apparerent, & languores, malæ hujus radicis mala germina. Tiberrius omnium, quotquot unquam fuerunt, salacissimus Princeps malis hæc impudicitia comitibus tanquam satellitibus semper stipatus est, ejus plerumque facie ulceribus exesâ, emplastris ceratisque foedatâ (b). Quod effusissimi in veneream Principis probrum Julianus Imperator in suis

u Vide Ecl. 19.3. Qui se jungit fornicariis, erit nequam; putredo & vermes hereditabunt illum, & extolletur in exemplum majus; & tolletur de numero anima ejus; sive iusta alia Exemplaria; Exsiccabitur, ut statuat in exemplum. Et Prov. 5.10. Ne des alienis (Heb. aliene mulieri) honorem tuum & annos tuos crudeli. (fœminæ) Ne forte gemas in novissimis, quando contempseris carnes tuas, & corpus tuum. x Horat. lib. 1. Satyr. 5. Capuanum in morbum permulta jocatus. y Tull. Orat. in Ruillum. z Auson. Epigr. 70. de Crispa. a Sueton. in August. Authore Antonio Musa (Medico) unctum, sæpius sudasse ad flammam, deinde persusum gelidâ. b Tacit. Annal. lib. 4. Cæ-

Cæsarius non silens, cicatrices, ulcera, tumores, impetigines lepræ omnes, & cætera incontinentiæ argumenta exprobrat. De Cleopatra hæc habet Horatius lib. 1. Od. 37.

Fanus & imperio parabat
Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum

Neque hæc in Regina Ægypti miranda, cum lues sit in Ægypto nunquam non familiaris. Eundem morbum iis verbis in sinuat Juvenalis Satyr. 11.

..... Podice lævi
Caduntur tumida, Medico ridente, mariscæ.

Cur Medicus rideat, dum fecat, in promptu causa est; quòd scilicet morbi probrosam originem non ignoret. Semel & iterum ea de re Apulejus; ita enim habet Afini aurei lib. 10. *Mercator ad caponariam divertebat; illa Virgine percitâ illum cubili applicans suo, statim ut cum ista acquiescit, ab unico congressu pestilentem & anosam contraxit affectionem.* Et lib. 1. *Ut quidam sæpius sibi mortem suâ consciscere manu voluerit, priusquam inquinata Uxoris contagio macularetur.* Valerius Maximus lib. 3. de Pulchro filio Claudii scribit: *Perdito amore meretricis infamis, erubescendo morbi genere consumptus fuit; abdomine enim avidè devorato, fœda ac fœdida intemperantiæ spiritum reddidit.* Vide quæ Julianus probro vertit Tiberio; vide Suetonium in vita Augusti, & Tacitum Annal. lib. 4. de Tiberio, ac tandem consule medicinales theses, quas Parisiis defendit in hoc argumentum D. Alliot de Mussey A. 1717.

Is igitur morbus nomine ignotus, re tamen notissimus erat apud Veteres; neque recens est malum, sed veterum morborum farrago (c). Quæ de allata lue hæc ex America in Europam ab Hispanis narratur, neque fidei sunt inconcussa; atque non longè à vero suspicari quis possit, non ab America in Hispaniam, sed ab Hispania in Americam, quod ab Herrera asseritur, transfretasse; ipsumque esse morbum cum lepra, actorum retro sæculorum lue familiarissimâ, quæ annorum successione plures in nominibus vices experta sit. In eo planè ætatis nostræ morbus veteri felicior est, quòd medicamina patiatur, olim remedium omnium impatientissimum. Factum indè ut leproforum turba & Nosocomia augerentur frequentarenturque.

His omnibus morbis, quibus patientissimus opprimebatur [d], addunt nonnulli ulcera in faucibus sive in glandulis, quas amygdalinas vocant, frequens in Syria vitium, teste Aretæo (e). Miserè eo morbo affecti torquentur calore, non secus ac igniti carbonis, fauces torrente. Halitus atram spirat mephitim, ex imo pectore provenientem, qua ipsi sibi miseri graves redduntur. Oris facies pallens livensque. Molestia angit sitis; acuta tandem torrensque febris intima depascitur.

Dissert. Calmet. Tom. 1.

Quare veluti si in medio igne versentur, ardere se undique sentiunt, sublato illis potus levamen, quòd ulcerata glandula amygdalini liquoris sensum vix patiantur. Cum primùm in lecto quieverint, continuo stratum deserere coacti, sessionem querunt; dein sessionem pariter abjectâ, cubitari corpora sternunt, stantes plerumque ambulant, quietem aliquam venaturi; hinc fugere solitudinem, societatem amare, quòd intimos dolores fallant. Longa trahunt suspiria, paulatim & veluti per partes respirantes. Vox est rauca, & inequalis, hæretque non semel.

Eo morbo laborasse Jobum inde suspicari daretur, quòd ægrè se cibum capere profiteretur (f): *Antequam comedam, suspiro; deglutire salivam non sine incommodo significat [g]; intestino calore torreri (h); neque morbo suo levamen ullum sive stantem sive quiescentem continuatis diebus nobis experiri (i).*

Accessisse his omnibus anginam & maximè scorbutum autumat Bartholinus. Porro quæ de priori illo morbo asseruntur, hæc testimonio Jobi probari possent, qui eo se dolore vexari profiteretur, ut tolerabilius secum agi putaret, si præcis laqueo faucibus promptâ morte prolixis adeò impotentibusque cruciatibus subduceretur [k]. Conferunt etiam in eam rem, quæ supra de cibi potusque capiendi difficultate observavimus. Conjecturæ de scorbuto capiendæ occasionem præbuit Medico Scriptori depravata humorum Jobi œconomia, teter melancholici humor, & ægritudo, quibus oppressum virum credit; accedente insuper promiscui cibi nutritione; his enim causis scorbutus debetur. Profectò si Dæmoni pro arbitrio favendi facultas data est, neque morbi illud genus prætermisissimum facile credimus; cum maximè morbi indoles omnis in illo spectaretur. Halitus mephitis, quæ domesticos omnes arcebat (l); stridor dentium, gingivarum corruptio, capiendi cibi difficultas, arens, torridum, & exile corpus (m); hæc de scorbuto æquè ac de Jobo feruntur. Hanc capiendi cibi difficultatem stridori dentium, & gingivarum ulceribus tribuendam Bartholinus arbitratur; malunt alii ulceribus oris: quin & ipse Bartholinus superius ex glandulis amygdalini exesit repetebat.

Longam hanc malorum iliadem refert Pineda, neque his omnibus cæterisque malis illorum comitibus, nempe cryspellate, scabie, impetiginibus, pruritu violento, ulceribus toto corpore disseminatis, fœcis, igne sacro aliisque contentus, chigram etiam, podagram, ischiademque censuit adjiciendas. Nec sanè fuerant postrema hæc omittenda, si illud semel constitutum, nihil esse in morbis maximè violentum, quod vim suam in Jobum non exercebat. Conjecturæ suæ indicia derivat Auditor ex illo Job 13. 27. *Posuisti in nervo pedem meum; sicut & cum alibi (n) testatur, membra sua omnia absumpta esse & in nihilum redacta.* Animadvertimus etiam in superioribus

f Job 3. 24.
g Job 7. 19.
h Job 30. 30.
i Job 7. 3. 4. 13. 14.
k Job 7. 15. Elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea.
l Job 19. 17.
m Job 30. 30.
n Job 32. 11.

t Levit. 18. 19. & 20. 18.

o Job 16. 16.

(o) veterascentem lepram pedibus manibusque maxime prodi, quos scilicet diris adeo tumoribus inflat, ut chiragrae atque podagrae speciem intuentibus exhibeat. Quid valeant conjecturae istae, Lectoribus judicandum relinquimus.

Post eas omnes adductas conjecturas & sententias, quid maxime de Jobi morbo sentiri oportet, definire quisque poterit. Modò, ut totum expleamus argumentum, reliquum est disseramus de natura, causis & effectibus singulorum morborum. Sed nimis longius, quam pro modulo dissertationis, adduceremur, & minor nobis medicinae peritia quam argumenti dignitas exigat. Ad haec conjecturas nostras de Lepra, cujus est apud Moysen sermo, alibi concessimus facile ad praesens intentum accomodandas. Unum tantum in praesentia addendum, morbum illum Jobi, quamvis rarum & insolentem, non adeo tamen prodigiosum haberi debuisse, quin ullius causae naturalis ministerio inductus credatur. Petenti Dæmoni illud tantummodo Deus indulget, ut causas plures morbi naturales comparans, in virum sanctum omnes immitteret, earumque vim magis magisque promoveret; vivere tamen illum semper, sed longam trahendo mortem, permisit.

Quaedam modo de restituta viro sancto valetudine discutienda sunt. Nihil eà de re in Scriptura, ita verò narrant Orientales (p). Cùm tandem imponere longae calamitati finem statuisset Deus, Angelum Gabrielem misit, surgere virum sanctum jubentem; qui Angelicis praecipis actum obsecutus, strato relicto, stetit. Tum Angelus stare iterum in pedes iussit, & frigidà corpus lavare, vini que potu affectum corpus reficere. Nihil à Jobo omisum, statimque egritudine depulsa convaleuit. Inter haec, dives subito fons ante pedes ejus exiit, ex quo torrens coepit excurrere, aquis lacteo candore, mellis dulcedine, & gratissimum spirantibus fluens. Vix aquis illis epotis statim abire vermes, nec ultra ad virum sanctum accedere. Iussi simul amici Job illum convenerunt, provocatum in se Dominum qua implorato Jobi patrocino, qua sacrificiis placarunt; provocatum, in quam, quippe qui inconsultis & iniquioribus verbis plura effutierant. Ipsi etiam amicis rogantibus erroremque suum agnoscentibus data facilis à Jobo venia, qui testes illos restituta sibi à Deo pristinae valetudinis & fortunarum naclus est.

Orientalium ingenium pronum est maxime in prodigia iactanda, neque si plura cumulaverint, & maxima ad arbitrium effinxerint, religioni maxime docent. Quare nullum est certum alioqui assertumque in Scriptura prodigium, quod plurimum, & plurimum miraculorum accessione promovendum non aggrediantur. Qua in re & indolem ipsi suam, & habitudinem sequuntur, rati tum maxime divino honori & decori Religionis se consulturos, si plurimum fabellarum satellitium illi adjuverint. Principium, si quod aliud unquam,

maxime perniciosum, in superstitionem & irreligionem recta deducens. Cautiores multo Sacri Scriptores nullum nisi maxime necessarium prodigium constituunt; eas simul addentes circumstantias, quibus facile Lectores persuaderentur, quando etiam nihil Scriptoribus illis fuisse divinum crederent. Cum igitur de prodigio miraculisque nihil in ea historia legamus, ut quid incerta & sublesta fidei agnoscenda cogere?

Quò longius à prodigiis recederet Bartholinus, novam ille restituta Jobo valetudinis rationem excogitavit, cujus adeo nulla fides, ut nullam etiam veri speciem exhibeat. Cineri assidebat Jobus [q], tum ut humilitatem suam eo indicio demonstraret, tum pariter ut ulceribus suis prompto remedio occurreret, ait idem Bartholinus. Verissime ille quidem de humilitate; mos enim obtinuerat, ut crimen aliud admittum lugentes, cineri, & terra assiderent: quicumque etiam funera, lugebant, caput vultumque pulvere, & cinere foedabant. Ipse pariter Jobus gravioribus verbis à Deo castigatus, quòd inconsulta plurima effutisset: *Ago, ait, penitentiam in favilla & cinere [r]*. Sed quis, rogo, nisi delirans, sibi in animum induxerit, Jobum remedium ulceribus querendum in cinere cogitasse? Sed noxium cinis exsiccat humorem, ait Dioscorides, lib. 5. cap. 135. & exsiccandis ulceribus tum & crusta inducenda cinis samentorum alius contemperatus medicaminibus valet. Cruori è recenti vulnere fluenti sistendo cineres presentissimos esse testatur Galenus (s). Ulcera Syrorum, sive ulcera faucium vel glandularum amygdalinarum, noxius in primis & vulgatus in Syria morbus, teste Aretæo (t). aspersis pluma cineribus tractatur. Exsiccandis igitur ulceribus, & leprae curandae eodem remedio Jobus utebatur. Bella argumentatio! Nonne praestaret silentio rem praeteriisse, potius quam talia ferid attulisse?

Nos igitur de ratione valetudinis à Jobo receptae rem integram transigemus, cum neque conjecturae neque Scripturae testimonia aliqua suppetant. Nihil etiam nobis de prodigiis; æquum est enim ut ab inutili labore frustra illa investigandi Lectorem relevemus. Jobum satis promptè convalescente illud demonstrat, quòd statim pro amicis sacrificia obtulisse legitur; vix enim leprosus & morbo oppressus praestandis sacrificiis parem se exhibuisset. Sed prodigio illius sanitatem restitutam quis dixerit? Ex quo enim Dominus concessam prius Dæmoni potestatem retraxit; ex quo Virum Sanctum caelesti solamine spectandum se praebens recreavit; (ad id enim abscondisse faciem suam visus est Deus, atque averso illum oculo respexisse, quò magis magisque de patientia illius periculum faceret) ex quo pariter obstructi morborum fontes; tum pronum viro Sancto fuit, ut naturali aliquo remedio, sive balneo, vel succo aliquo herbarum affectum corpus foveret, saniem de-

q Job 2.8. Jafchaz betorb haepber.

r Job 42.6. nichambi alaphar. Vaeppber.

s Galen. seu alius Author libel. de Simplicibus Medicam. t Aretæus lib. 1. de Curat. Acut. Morb. cap.9.

a Chachol arbeb jamim, sebarefchi phathuabelemajim.

tergeret, abigeret vermes, ac tandem cibi aliquo delectu servato pristinam humorum harmoniam potuit reparare. Vix enim credimus, quin prompta essent & ad manum remedia in morbo earum regionum planè vulgari & frequenti. Cùm tamen diuturniorem morbum illum vitiatamque penitus humorem massam nos in superioribus nec immeritò statuerimus, si quis bonorum Angelorum ministerium aliquod accessisse voluerit, ut quemadmodum mali Angeli artibus morbus inductus est, ita bonorum Angelorum ministerio de-

pelleretur, per nos liceat. Potuit enim bonus Angelus prompta & opportuna remedia viro suggerere, potuit admonitu suo à noxiis arcere; qua in re nullum aliud intercessisse prodigium agnoscendum est, quàm quo nos quotidie juvamus; bonis Angelis recta quaque suadentibus & suggerentibus, ut ad morum honestatem promoveamur; tum etiam sedulo vigilantibus, ut nos sive à noxiis arceant, sive ut à malis, quae in caput nostrum induximus, liberemur.

DISSERTATIO

IN ILLUD JOBI 29. 18.
Sicut palma multiplicabo dies.

Quem exponendum hic suscipimus Textum, neque maximi est in se momenti, neque rectum illius sensum assequi ad nos maxime spectat. Cùm tamen argumentum ex eo ad probandam resurrectionem adduxisse Veteribus succurrerit, ac in varias ejus occasione sententias Interpretes distrahantur; ideo aliqua de illo in medium afferre ad nos maxime pertinere arbitramur. Scitum est, Jobum verbis illis longioris vitae felicitatem sibi augurari; an verò producere sibi vitam palmam, vel potius Phoenicem optaverit, vel tandem tot sibi vitæ annos, quot in mari arenae deprecatus sit, ambigitur; uno verbo, an similitudo ex Phoenice, vel palma, vel arena in litore maris deducta sit, inter Autores discutienda.

Profectò si Hebraici Textus verba satis haberentur explorata (a), nullus esset controversiae locus; sola enim sententia ad literam expositio Interpretes omnes in concordiam adduceret; nec multum inde curaretur quid Veteres pravam interpretationem secuti autumaverint; solis illis Interpretibus inter Veteres adherentibus nobis, qui maxime rem affectui deprehenderentur. Cùm verò Rabbinis, & Veteres Interpretes, quorum sententiam in Scriptura versione maxime sequimur, nec satis inter se consent, & incertam vagantemque vocum significationem reliquerint, integer nobis manet labor Textum & potissimas Versiones excutiendi; quò inter varias illorum sententias meliorem pro viribus seligamus.

Quam in eo Textu vertendo rationem secuti sunt Septuaginta, variis tot opinionibus occasionem prebuit & fomentum. Utuntur enim voce *Phœnix*, quæ in Græ-

co tria vel quatuor maxime diversa significat; palmam nempe, Phoenicem avem, & Phoenicium nempe Phoenicæ incolam, ac tandem herbam, quam nos *lolum murinum* appellamus (b). Hanc equivocationem sensisse illi, & subducere voluisse visi sunt, addentes vocem *truncus*: Et sicut *truncus Phœnicis* (sive *Palma*) *multiplicabo dies*. Ecquæ enim alia voci Phœnix congruere potest significatio, nisi palmitis si vox *truncus* addatur? His tamen minime convicti plures, locum interpretati sunt, de Phœnice ave, totam sententiam legentes (c): *Sicut corpus* (vel *foetus*) *Phœnicis multiplicabo dies*. Tam uberem verò spiritualium conceptuum materiam hinc nacti sunt, ut non raro pro resurrectione mortuorum argumentum ex illa derivarint. Erroris fomentum praebuerunt verba immediate antea in Textu legenda: *Dixi: In nidulo meo moriar, & sicut Phœnix multiplicabo dies*. Pronum est enim ut nidus de ave exponatur, & de ave potissimum ejus nominis tota antiquitate celebratissima, deducendis figuris & allegoriis maxime opportuna.

Porrò de Phœnice ave Arabia hæc tradit Solinus cap.42. *Phœnix aquila magnitudine, capite ornato, in conum plumis extantibus, cristatis faucibus, circa colla fulgore aureo, postera parte purpureus, atque cauda, in qua roseis pennis caruleus interscribitur nitor* (d). Addunt sidera in oculis micare, unicum esse in mundo (e); vitam juxta aliquos ad 500. annos (f); juxta alios ad 1000. [g] nec defunt qui credant ad 7000. producere (h). Vivit, ait Plinius lib.10. cap.2. ad 660. 560. seu 521. annis; variant enim Exemplaria. Solino verò 540. annorum avis est. Supparem novem Corvorum generationibus autumat Hesiodus; corvum verò 9. humanis generationibus parem constituit. Albertus Magnus intra 340. annos Phœnicis vitam definit.

b Vide Dioscorid. lib.4. cap. 39.

c Mezer. & Tir. in hunc locum. Hebrai apud Vat. Grot. Codwrc. Draf.

d Vide & Plin. lib.10. c.2. & l.13. c.4.

e Tacit. lib.6. Annal. Unum in terris. Melia lib.3. cap.9. Avis semper unica.

f Horus Jeroglyph. 33. Senec. Ep. 42. Tacit. Annal. 6. Herodot. lib. 2. cap.3.

g Author Poemat. de Phœnice sub nomine Lactant. & Claudian. & h Chæmon apud Tzet. Non